

CUIUS SUPRA EXORTATORIA AD SABINAM

SINGULARE MEMBRUM ECCLESIAE TUAE religionis amplitudinem existere, et a nobis reverentissime coli, satis est omnibus manifestum. In ipso enim apice nobilitatis multo nobiliorem ecclesiae devotionem inpendis, et magis loeta Christi agnitione praeceptis eius obtemperas, et in fide potius exultas, quam tanti generis flore iactaris. Summae virtutis est vicisse gloriamcarnis, et magna est Christi gratia nobilitatem moribus superasse, domina filia merito inlustris. Certa igitur existens, dilectissima, vitae huius quaecumque sunt spatia aeternis divinisque officiis inlustrare contende, ut qui insigne te praestitit, reddat sibi per saecula clariorem.

Quapropter tuam hortamur dilectionem, ut bonum quod caepisti semper impleri non differas, quia non laudatur initium sed finis. Sapientiam enim te hortamur diligere et scrutari, ut rationabiliter et sapienter disponas et iudices ea, quae tibi commissa sunt, dicente Domino per prophetam: Erudimini eum qui iudicatis terram. Time ergo Deum, et mandata eius serva, et dilige eum totis visceribus, et proximum tuum sicut te ipsum. Deus altissimus creavit sapientiam in Spiritu Sancto, et vidit et dinumeravit et mensus est, et effudit illam super omnia opera sua, et super omnem carnem secundum datum suum. Praebuit illam diligentibus se. Timor Domini gloria et gloriatio et laetitia et corona exultationis. Timor Domini delectabit cor, et dabit laeticiam et gaudium in longitudine dierum. Timentium Dominum bene erit in extremis, et in die defunctionis suae benedicetur. Dilectio Dei honorabilis sapientia; quibus autem apparuerit in visu, diligunt eam in visione et in agnitione magnalium suorum. Initium sapientiae timor Domini, et cum fidelibus in vulva creatus est, et cum electis feminis graditur, et cum iustis et fidelibus agnoscitur. Timor Domini scientiae religiositas. Religiositas custodiet et iustificabit cor; iucunditatem atque gaudium dabit. Timenti Dominum bene erit, et in diebus consummationis illius benedicetur. Plenitudo sapientiae est timere Deum, et plenitudo a fructibus illius. Omnem domum illius implebit a generationibus, et receptacula a thesauris illius. Corona sapientiae timor Domini, replens pacem et salutis fructum. Et vidit, et dinumeravit eam; utraque autem sunt dona Dei. Scientiam et intellectum prudentiae sapientia conpartietur, et gloriam tenentium se exaltat. Radix sapientiae est timere Deum; rami enim illius longevi. In thesauris sapientiae intellectus et scientiae religiositas; execratio autem peccatoribus sapientia. Timor Domini expellit peccatum; nam qui sine timore est, non poterit iustificari. Iracundia enim animositatis illius, subversio illius est. Usque in tempus sustinebit patiens, et postea redditio iocunditatis. Bonus sensus usque ad tempus abscondet verba illius, et labia multorum enarrabunt sensum illius. In thesauris sapientiae significatio disciplinae; execratio autem peccatori cultura Dei. Fili, concupisces sapientiam; serva iusticiam et Deus prebebit illam tibi. Sapientia enim et disciplina timor Domini, et hoc quod beneplacitum est illi, fides et mansuetudo; et adimplebit thesauros illius. Contumax non sis et incredibilis timori Domini, et ne accesseris ad illum duplici corde. Ne fueris hypocrita in

6 virtutis] virtus 31 conpartietur] conpatiretur

2–10 SINGULARE ... clariorem: *Innocent I, J3 690 (D/H), ed. PL 20 518-19* 13–14 quae ... Domino: *Leo I, J3 1098 (Q/H), ed. PL 54: 1200-1* 14–15 Erudimini ... terram: *Ps. 2.10 (iuxta LXX)* 15 Deum ... serva: *see Eccles. 12.13 (also 1 John 2.4)* 15–16 et² ... ipsum: *see Matt. 22.37, 39; Mark 12.30, 33; Luke 10.27* 16–45 Deus ... tua: *Ecclus. 1.8-39*

11–68 Quapropter ... mereamur: *Also in Ps. Dionysius, J3 †282.*

conspectu hominum, et non scandalizaris labiis tuis. Attende in illis, ne forte cadas et ponas scandalum anime tuae, et adducas inhonorationem tibi, et revelet Deus absconsa tua.

45

- 3 Pro fide et iusticia ac pro salute animae certa semper, et pro adiutorio fratrum viriliter age, ut a Domino recipias remunerationem. Scriptum est enim: *Fili, conserva tempus et evita a malo. Pro anima tua non confundaris dicere verum. Est enim confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gratiam et gloriam. Ne accipies faciem adversus faciem tuam, nec adversus animam tuam mendatum. Non reverearis proximum tuum in casu suo, nec retineas verbum in tempore salutis. Non abscondas sapientiam tuam in decore eius. In lingua enim agnoscitur sapientia, et sensus, et scientia, et doctrina in verbis veritatis, et firmamentum in operibus iusticiae. Non contradicas veritati ullo modo, et de mendatio ineruditionis tuae non confundere. Non confundaris confiteri peccata tua, et ne subicias te homini pro peccato. Noli resistere contra faciem potentis, nec coneris contra ictum fluvii. Pro iusticia agonizare pro anima tua, et usque ad mortem certa pro iusticia, et Deus expugnabit pro te inimicos tuos. Noli citatus esse in lingua tua, et inutilis et remissus in operibus tuis. Noli esse sicut leo in domo tua, avertens domesticos tuos et opprimens subiectos tibi. Non sit manus tua porrecta ad accipiendum et ad dandum collecta.*

50

55

60

- 4 His fulta scripturarum auctoritatibus semper sta recta, et a via veritatis ne avertaris, ut gratiam Dei adquiras et bonorum hominum amicitia fruaris, *tantoque tua facilius ab amore huius saeculi exeat, quanto et inpellitur dum vocatur. Nam nos et praesentes vos videre cupimus et absentibus conloqui saltem per epistolam desideramus. Unde et optamus ut vos beatus Petrus apostolorum princeps ad sua limina feliciter perducatur, quatenus in omnipotentis gratia perfrui vestra presentia mereamur.*

65

- 5 Data XII Kl. Novembris *Lampado et Oresti* vv. cc. *conss.*

55 peccata] corrected from peccatas 67 gratia] omitted

47–61 Fili ... collecta: *Ecclus.* 4.23–36 63–64 tantoque ... vocatur: *Gregory I, J3 1746 (9.218)*, ed. *Norberg CCSL 140A p. 782 l. 16–17* 69 *Lampado* ... *conss*: see the *Liber pontificalis LVI: Felix III c. 1*, ed. *Mommsen, MGH Gestorum pontificum Romanorum I (1898)*, p. 138 l. 3